

magis appropinquet: Quod de perturba-
toribus Recip, inuehitur, plane calumnio-
sum est in Fraternitatem: Nihil enim ex
illis quispiam perturbat, ne minimo in
Remp. iniutiosus: nec credo illa omnia,
qua à calumniatoribus dicuntur, alicui sta-
tui tantillum nocere posse: Sunt enim si-
esta & excogitata in calumniantium cere-
bro, eorumq; linguis in aerem effusa, nec
ullius veritatis, nec efficaciæ: Sint, qualia-
cunq; velint, redeant ad suos authores, il-
lorumq; iugula premant, quia ad Frater-
nitatem nō magis spectant, quam conui-
tia ad illum, qui iis oneratur & læditur: Si
de iniuriis sibi illatis conquerendum sit,
id maxime Fraternitati incumbit, non in-
iuriantibus: Quod tam multæ sint hære-
ses in Christiano orbe, an sacræ literæ p-
pterea incusandæ sunt, vel abiiciendæ, vel
prohibendæ omnino? Absit, quia homi-
num peruersitas, illis abutēs potius coer-
cenda foret: Ita quid hoc ad Fraternita-
tem, q; multi in ipsam blasphemias con-
uehunt, & calumnias spargunt? Si accu-
fare satis foret, nemo non rei nomen assu-
meret à quolibet auctore: Si calumniari

M S suffi-